\# 15

AMICI HIBERNI

AD AMICUM

DOCTOREM MARTIN

HIBERNUM

CORREPTIO FRATERNA

SUPER

Impudentissimis & audacissimis Reflexionibus,

Quas nuper edidit in DECLARATIONEM *Doctoris* HENNEBEL.

✠

LEODII
Apud Heredes Henrici HOYOUX.

M. D. CCI.

AMICI HIBERNI
AD AMICUM
DOCTOREM MARTIN
HIBERNUM
CORREPTIO
FRATERNA

Super impudentiſſimis & audaciſſimis REFLEXIONIBUS, quas nuper edidit in DECLARATIONEM Doctoris HENNEBEL.

NÆ Tu hominum imprudentiſſimus es, *Amice Doctor*. Vix manus ſubduxiſti ferulis Pedelli Colonienſis; & virgas cuti tuæ à Theologo aliquo Belga accerſis. Miſeret me Tui; ſed ne ab extraneo vapules, cum totius Gentis noſtræ dedecore; patrio ego Te ſtylo caſtigabo, & in omnes Te imprudentiæ leges turpiſſimè impingere, fraternâ libertate oſtendam.

Scis nihil æquè Nationi Nostræ opus esse, quàm Summorum Pontificum, Regum, Principum, omniumque adeò hominum favore ac benevolentiâ: Dum enim Patriâ Religionis ergo pellimur, ad mendicam redacti sumus, si illorum ope destituamur. Tu verò tuis *Reflexionibus* horum omnium in nos indignationem provocasti.

I.

1. Articulo primo postulas à Belgis Theologis, ut *Infallibilitatem Romani Pontificis, ejusque superioritatem*, ut loqueris, *supra Concilia omnia* profiteantur ac defendant. Quid poteras arrogantiùs? Romani Pontificis est, Professionem fidei postulare: Et Tu, Illo silente, eam tibi potestatem sumis, homo privatus, nullâ authoritate, nullis meritis, solâ in omnes audaciâ erectus. Si fidei ratio reddenda sit à Belgis Theologis; reddent eam, dum legitimè poscentur, Summo Pontifici, Conciliis, Episcopis: Tibi numquam, qui dignus non sis Theologorum illorum, super quos te erigis, calceamenta portare.

2. Agitur hìc de re summa; in qua si erratur, in errorem inducetur Orbis Catho-

tholicus. Quod dum expendunt Summus Pontifex & Ecclesiæ Antistites; putant prudenti silentio potiùs, quàm præmaturâ exactione Ecclesiæ consulendum. Tu verò, Doctor audacule, expendens nihil, Principum Ecclesiæ Tribunal invadis, & Belgis Theologis credendi regulam præscribis.

3. Nescis eos, qui aliter sentiunt, tueri se duorum aut trium Conciliorum Generalium definitionibus? Niti totius Ecclesiæ Gallicanæ autoritate? Celeberrimæ ac Doctissimæ Orbis Academiæ judicio fulciri? Nescis, ipsum Adrianum VI. Pontificem maximum illius doctrinæ defensorem, vel dum Pontifex erat, adduci? Nescis pro ea stare Eminentissimos Cardinales, Florentinum, Panormitanum, Cameracensem, Cusanum? Canonistas item & Theologos ex omni gente plurimos, Hispanos, Gallos, Germanos, Flandros, doctissimis Scriptis eam sententiam propugnare? Quæ ergo ista tua temeritas est, ut adversùs authoritates tàm graves, tacentibus Episcopis, Academiis, & Summo Pontifice, Doctor indocte & audax insurgas, & professionem illis contrariam à Belgis Theologis deposcas?

4. Et ab illis Theologis, qui doctrinæ & fidei suæ rationem nuperrimè reddiderunt Sedi Apostolicæ: Qui annis octo per Deputatum suum pedibus Sanctitatis Suæ advoluti, hoc unum supplicârunt, ut quid ab illis postularetur, intelligerent: Qui tandem editâ ultrò Declaratione, omnem erga Sanctam Sedem reverentiam & obedientiam professi sunt. Profectò si quid ultrà præstandum fuisset; significatum id foret jam dudum à Romano Pontifice, aut Sacra Eminentissimorum Cardinalium Congregatione, cui doctrinæ suæ Declarationem exhibuêre: Sed illis nihil significantibus, Te Scripto publico, quod Sedis Apostolicæ est, Tibi arrogare, audacia est, non *Fraternâ* meâ *Correptione*, sed Paternâ Summi Pontificis increpatione castiganda.

5. Cum audacia certat imprudentia; Qui non videas plurimùm Te Sanctæ Sedi obfuturum, dum sopitam hanc de Infallibililate controversiam adulandi studio resuscitas. Si quid hac in re nosces; scires Adulatores ejusmodi numquam hunc pro Romanis lapidem movisse; quin carò steterit Sedi Apostolicæ illorum temeritas. Anno 1611. Theses Patrum Dominicanorum Parisiis propugnatæ, provocârunt

Do-

Doctorem Richerium, ut se illis opponeret, ut Consilium Regium Parisiis, ut Sorbonam, ut Doctos omnes suscitaret: Atque hinc natum quidquid deinde hac in re à Facultate Parisiensi fortissimè decretum est. Libri Suarezii, Bellarmini, Santarelli, quid ibidem profecêre; nisi ut vel proscriberentur, vel notarentur censurâ, vel flammis damnati exurerentur? Unde nati sex Articuli Sorbonæ, cusi anno 1663.; nisi ex Thesi famosa, quam pro tuenda Summi Pontificis Infallibilitate Parisiis anno 1661. defenderant Jesuitæ? Quæ deinde iidem Patres iterato conatu tentârunt occasione Jansenismi, excepta tandem fuerunt quatuor illis celebratissimis Cleri Gallicani Articulis. His se opposuit unus Strigoniensis Archi-Episcopus; sed quo fructu? Scilicet ut Orbis Catholicus intellexerit, non nisi unum fuisse in Ecclesia universa Episcopum, eumque Hungarum, qui adversùs Ecclesiam Gallicanam Infallibilitatis Pontificiæ causam susciperet. Sorbona certè per Censuram suam, quid de eo sentiendum foret, declaravit, suâque doctrinâ assertâ, non parvam doctrinæ contrariæ labem aspersit.

Scribillare etiam aliquid adversùs eosdem

lem Articulos Lovanii aufus fuerat D. NICOLAUS DU BOIS: fed hunc cum de efponfo non dignaretur ullus è Clero Gallicano, ipfa Roma juffit à fcribendo defiftere, magis ab illo caufam fuam proli & perdi, quam juvari intelligens. Quis etiam ignorat, à Confilio Regio Parifiis fuffultam fuiffe Sorbonam, & adversùs prætenfam Bullam Alexandri VII. quâ perftringebatur Cenfura à Sorbona lata in libros Vernantii & Amadæi, non levem ftrepitum excitatum? Doctrinam de Infallibilitate tueri voluerat Vernantius: fed Cenfuram illi per Sorbonam inuri juffit Confilium Regium. Vernantium oblique juvare voluit Roma, Cenfuram Sorbonæ. Cenfurâ notando: fed Decretum Romanum Parifiis rejectum & profcriptum eft, Sorbona de novo vindicata. Sed quid foris exempla accerfo, numquam Tibi fortè audita? Domefticum habes in STEJARTIO, cujus domo & mensâ uteris. Sufceperat hic tueri *Judicium*, quod major pars Facultatis Theologicæ ftrictioris Lovanii tulerat adverfus D. DE WITTE. Oppugnabat illud nefcio quis, quem STEJARTIUS *Obtrectatorem Gallum* vocabat, alii ARNALDUM putant. *Pofitiones* fcribebat initio fatis confidenter; deinde

Pofi-

Positiones ulteriores; ac tandem aliquid *Justæ Molis* minabatur: sed & *Positiones*, & *Positiones ulteriores*, & *Minas nullius molis* sic repressit Scriptor ille, si non Gallus, certè Gallicus; ut in hunc diem *Justæ Molis Opus* lucem timeat, etsi prorsus necessarium, ut Causa Pontificia, quæ prioribus satis *parvæ molis* & minoris virtutis *Positionibus* malè acta est, opere aliquo meliori restauretur. Interim dum silet STEJARTIUS, &, ut fertur, jussus à Sede Apostolica silet, quid effectum fuit, nisi ut omnes intelligerent, Romani Pontificis infallibilitatem, si defendi possit, à STEJARTIO saltem defensam non fuisse; doctrinam verò Cleri Gallicani tot tamque validis argumentis ab ejus Antagonista firmatam; ut cum priùs, re illâ numquam fortè discussâ, omnes passim pro infallibilitate starent, plures deinceps circa illam vacillare inceperint? Ubi ergo fuit, si quam habes, Frater, prudentia tua, dum hanc Quæstionem suscitasti? Metuo, ne non jam solum Tibi silentium imponat Roma, ut imposuerat aliis; sed & fulmen Vaticanum in Te vibret, & Adulatorem suum importunum omni imposterum favore excludat.

6. Sed & eâdem imprudentiâ peccas

n Reges. Vis ut Theologi Belgæ Professionem edant toti Ecclesiæ Gallicanæ & Sorbonæ contrariam, Nescis LUDOVICUM MAGNUM, Ecclesiæ suæ & Sorbonæ invictissimum Vindicem? Quo vultu feret ille, à Te totius Cleri sui & Facultatis suæ Parisiensis doctrinam sic traduci, ut qui illam tuentur, debeant in Ecclesia ab omni Officio, Beneficio, & Dignitate repelli? Non times iram Clementissimi & Potentissimi Regis Nostri PHILIPPI, qui quam Gloriosissimus Avus suus vindicat doctrinam, à Te in invidiam trahi numquam patietur?

7. At vide parem in totum Galliæ Clerum imprudentiam. Si omni Beneficio in Ecclesia indigni sint Belgæ Theologi, quod non profiteantur Infallibilitatem Pontificis: Indigni certè eo etiam sunt tot Galliæ dignissimi Præsules, aliique de Clero ipsorum innumeri, quos non solum constat eam non profiteri, sed etiam profiteri doctrinam oppositam. Aut enim in pari causa cum Belgis Theologis indigni sunt Galli; aut cum Gallis indigni non sunt Belgæ Theologi. At, neque Galliâ neque Româ Judice, indigni sunt Galli, qui Infallibilitatem non profitentur. Siluit de illa Meldensis Episcopus in EXPOSITIO-

NE FIDEI, ratus se Hæreticorum conversioni obicem positurum, si hanc ab illis professionem exigeret. Neque tamen propterea indignus in Urbe habitus est, qui ob *Expositionem* istam ab Eminentissimis ac doctissimis Cardinalibus, atque à Magistro Sacri Palatii, præclaris Enconiis; ab ipso autem Summo Pontifice, Brevi Apostolico condecoraretur. Eminentissimus De Noailles, cum adhuc esset Catalaunensis Episcopus, Conventui Cleri Gallicani anno 1682. celebrato interfuit, in quo proinde cum cæteris constituit articulum Infallibilitati contrarium: Sed non propterea indignum eum habuit Summus Pontifex, cui suas pro Archi-Episcopatu Parisiensi Bullas expediret; quem ad Romanæ Ecclesiæ Purpuram eveheret; quem nuper, cum Romæ esset, omni Paternæ Benevolentiæ testificatione exciperet.

8. Peccas imprudens & in ipsam Religionem Catholicam. Cardinales Perronius & Richelius, Illustrissimi Walenburgi, P. Veronius, & doctissimi quique Controversiarum Scriptores in hoc consentiunt, exigendum non esse ab Heterodoxis ad Ecclesiam redeuntibus, ut doctrinam de Infallibilitate recipiant; ne, si

id exigeretur, alieni redderentur ab Ecclesia Catholica. Est mihi præ manibus impressa CARAMUELIS AD PETRUM GASSENDUM EPISTOLA, *quâ significat Germanos Protestantes ad amplectendam fidem Catholicam longè promptiores futuros, illâ ipsis opinione detractâ, non licere cuiquam esse Catholico, nisi qui Papam infallibilem, & OEcumenico Concilio superiorem agnoscat*, quam eos dicit tamquam *Pontificiorum Tyrannidem* perhorrescere. Jungitur PETRI GASSENDI RESPONSIO, *quâ latè demonstrat, tum antiquæ tum hodiernæ Scholæ Parisiensis, ac longè gravissimorum Theologorum perpetuam & instantem esse doctrinam, Papam nec citra Concilium OEcumenicum infallibilem esse, nec OEcumenico Concilio superiorem.* Si hæc illi, quibus studium est Hæreticos ad Ecclesiam reducere: quâ Tu imprudentiâ postulas ab Academicis Lovaniensibus, ut *Infallibilitatem Romani Pontificis, ejusque supra Concilia omnia superioritatem* profiteantur? Cingunt ipsos Hæretici undique: Debent proindè tollere, quidquid illorum conversioni obsistit; & quidquid reditum illorum faciliorem efficiat, præstare. Facerentne sapienter, si professionem ederent, quâ Protestantes in Eccle-

siam

siam Catholicam & Romanam Curiam commoverentur eò invidiosius, quod scirent vel ab ipsa illa Curia, vel ab illius Ministris aut Palponibus eam præscriptam fuisse? Profectò grande satis jam indè scandalum est, Tuis Tuique Stejartii rationibus accensendum, quod vicini Hæretici intelligant, esse Doctores Lovanienses, quibus via ad strictiorem Facultatem Theologicam ea de causa præclusa sit. Qua de re ne quod dubium ipsis supersit, imprudentiâ plusquam Martinianâ, & castigandâ ab utraque potestate temeritate id palam Tuis *Reflexionibus* evulgas. Nimirùm Ecclesiæ Romanæ honorificum est, non alia de causa Doctores illos à strictiore Facultate exclusisse; quam quod hinc quidem timerent reditum ad Ecclesiam claudere Heterodoxis, Batavis, Anglis, Germanis, si exemplo suo ostenderent, absque Infallibilitatis professione nulli Catholico esse licere; indè verò nollent sese opponere toti Ecclesiæ Gallicanæ & Academiæ Orbis primariæ, doctrinamque illius oppugnare.

9. Quid plura? In te tandem tuosque imprudens peccas. Quid enim, si Galliarum Rex, dum intelliget esse Lovanii, qui se antiquæ Cleri sui & Facultati

opponunt, apud Auguſtiſſimum Nepotem ſuum Hiſpaniarum Regem efficiat, ut Tu & Tui jubeantur Articulis Gallicanis ſubſcribere aut ſaltem non contradicere; ni pareant, à ſuis Cathedris removeantur? Multi augurantur, primos tunc fore Vos, qui mutatâ pro aurâ opinione, Profeſſionem Infallibilitati contrariam ederetis.

II.

Alia imprudentiæ, temeritatis, & audaciæ tuæ ſpecimina recenſendo tantùm perſtringam.

1. Dicis pag. 13. Belgas Theologos tandem coactos reſpondere, *S. Carolum neceſſitati temporum obſequendo, egiſſe ac docuiſſe laxiùs, quàm revera oporteret.* Cum verba Theologorum Belgarum, quibus id dicunt, nulla affers? Cum locum ubi dicunt, non deſignas? Dicam: Ne deprehendatur calumnia.

2. Pag. 15. Vocas *Laborioſum Opſtratii baptiſmum* PER MENSES AUT ANNOS. Cur iterum verba & locum Opſtratii non citas? Dicam iterum: Ne deprehendatur calumnia.

3. Eâdem paginâ dicis, Lovanii eſſe Con-

Confessarios, " *qui suos pœnitentes plurium* „ *annorum spatio non absolvant, nec ad* „*Communionem ipsam Paschalem admittant.* Undè id scis, nisi ex fide pœnitentium, qui fatentur se plurium annorum spatio non absolutos, nec ad Communionem Paschalem admissos? Quæ verò temeritas, pœnitentibus ejusmodi credere? Et credere, non audito Confessario? At esto, verum dicant: Quis Theologus nescit, posse esse Pœnitentes qui plurium annorum spatio vixerint in gravissimis criminibus, nec umquam voluerint aut vitam emendare, aut emendationem proponere, aut occasiones peccandi proximas vitare? Hisne Tu, pro singulari Tua prudentia, absolutionem & Communionem Paschalem ausis indulgere? Si nec Tu ausis; quomodo ausit Te prudentior?

4. *Quin & ab ingressu Ecclesiæ*, ais ibidem, *& auditione Missæ etiam diebus Dominicis & Festis interdicant.* Ex quorum rursus hæc fide, nisi ejusmodi Pœnitentium, qui fortè infimes sunt, omni prorsus fide indigni? Oporteret Te prudentiorem esse, & parte alterâ, Confessario, inquam, inaudito, cui loqui non licet; nihil statuere. At verum dicant:

Adeone

Adeóne in Theologia hospes es, ut nescias plures à Scholasticis causas assignari, quæ ab audienda Missa excusent? Nusquamne id, ut dicere soles, legisti? Lege tuum Wiggerium in 3. q. 83. dub. 20. ubi ex Doctorum sententia ait, *posse interdum excusari fœminam, si domi maneat ob fragilitatem proximi, à quo novit se perditè amari.* Si ob fragilitatem proximi; quidni ob propriam? Et quid si in Pœnitentibus illis utraque ista, vel gravior etiam causa extiterit? Quod cum, Confessariis inauditis, scire non possis; imprudentissimè sanè illos condemnas.

5. Pag. 19. dicis Lovanii tradi cœptum, *quod certum non sit, Sanctos in Cælo cum Christo regnantes cognoscere preces ad se directas.* Quotquot ego Lovanii audivi, dicunt esse impudentem calumniam. Tu vide, ut quod dicis, probes.

6. Quod ibidem addis, "traditum, „ *non constare, quod Deipara Virgo cum Cor-* „ *pore in Cælum sit assumpta*; non de ipsa Assumptione, sed de quibusdam Assumptionis, quæ narrari solent, circumstantiis traditum fuerat.

7. Opinioni de mendacio, quam subnectis ibidem, eò se magis, quam Tu, opposuerunt Belgæ Theologi, quò magis,

gis, quam Tu, a mendacio abhorrent & veritatem diligunt. Tantum abest, ut ea ipsis adscribi queat.

8. Nihilò magis adscribi illis potest imaginatio de hominibus in planetis degentibus, quam refers pag. 20.

9. Ibidem si dicas fuisse qui assererent: *Christum esse mortuum pro salute aeterna dumtaxat praedestinatorum*, EFFICACITER, verum dicis: si dicas eos negasse, *Christum esse mortuum pro salute aeterna etiam omnium* INEFFICACITER, calumnia est.

10. Pag. 24. Theologos Belgas vocas *homines de Religione turbata, si non convictos at suspectos.* Profer legitimum suspicionis indicium, praeter tuas tuorumque accusationes, quas illi calumnias esse contendunt.

11. Dicis ibidem eos *tam per Pontifices, quam per Reges Nostros exclusos* ab Officiis & Honoribus. Profer iterum exclusionis instrumentum: aut patere, quod dicis, pro calumnia haberi.

12. Quod pag. 33. asseris, ab Eminentissimo Tanario, tunc Apostolico Bruxellis Internuntio, suggestum Doctori *Huygens*, ut pro defensione *Infallibilitatis* aliquid ederet, falsum est. Mens ea fortè Tanarii fuit; sed quam num-

quam disertè expresserit : etiam tunc, cum exclusi à Sacra Facultate Doctores vehementissimè ab illo exclusionis suæ causam rogabant. Hinc è Concilio sanctiori aliquis : *Frustra*, inquiebat, *scire laboratis, quod vobis dicetur numquam.* Quam vexationem cum haud æquam crederent Status Brabantiæ ; Gubernatori Belgii die 17. Septemb. 1683. contra eam supplicârunt.

Tu porrò disce, *Amice Doctor*, tuum non esse exigere professionem, quam nec ipse Minister Apostolicus apertè exigere audebat, vel tunc cum desiderabat eam maximè. Si Articulus fidei est *Infallibilitas* ; cur disertè & scripto id non asseritur ? Si non est ; cur species quædam schismatis fit, & propterea excluduntur Theologi, quasi in fide errarent ? Certè æquum non videtur, ut professionem Articuli exigat Sedes Apostolica, quem ipsa priùs non definit, aut saltem præscriptis verbis non exprimit. Neque enim debent Theologi doctrinam aliquam, ceu quemdam fidei Articulum, profiteri : nisi eam priùs maturè expenderint, & ponderaverint verba singula, quibus expressa est ab iis, quibus jus est professiones ejusmodi exigendi, & Formulas Do-